# Eindexamen Latijn vwo 2006-I



## Tekst 1 Inleiding op de 2e Punische Oorlog

In parte operis mei licet mihi praefari, quod in principio summae totius professi plerique sunt rerum scriptores, bellum maxime omnium memorabile quae unquam gesta sint me scripturum, quod Hannibale duce Carthaginienses cum populo Romano gessere. Nam neque validiores opibus ullae inter se civitates gentesque contulerunt arma neque his ipsis tantum unquam virium aut roboris fuit; et haud ignotas belli artes inter sese sed expertas primo Punico conferebant bello, et adeo varia fortuna belli ancepsque Mars fuit ut propius periculum fuerint qui vicerunt. Odiis etiam prope maioribus certarunt quam viribus, Romanis indignantibus quod victoribus victi ultro inferrent arma, Poenis quod superbe avareque crederent imperitatum victis esse. Fama est etiam Hannibalem annorum ferme novem, pueriliter blandientem patri Hamilcari, ut duceretur in Hispaniam, cum perfecto Africo bello exercitum eo traiecturus sacrificaret, altaribus admotum tactis sacris iure iurando adactum se, cum primum posset, hostem fore populo Romano. Angebant ingentis spiritus virum Sicilia Sardiniaque amissae: nam et Siciliam nimis celeri desperatione rerum concessam et Sardiniam inter motum Africae fraude Romanorum, stipendio etiam insuper imposito, interceptam.
His anxius curis ita se Africo bello, quod fuit sub recentem Romanam pacem per quinque annos, ita deinde novem annis in Hispania augendo Punico imperio gessit, ut appareret maius eum quam, quod gereret, agitare in animo bellum et, si diutius vixisset, Hamilcare duce Poenos arma Italiae inlaturos fuisse, quae Hannibalis ductu intulerunt.

*Livius, AUC XXI, 1-2.2*

---

## Tekst 2 De tocht over de Alpen

Postero die iam segnius intercursantibus barbaris iunctae copiae saltusque haud sine clade, maiore tamen iumentorum quam hominum pernicie, superatus. Inde montani pauciores iam et latrocinii magis quam belli more concursabant modo in primum, modo in novissimum agmen, utcumque aut locus opportunitatem daret aut progressi morative aliquam occasionem fecissent. Elephanti sicut per artas vias magna mora agebantur, ita tutum ab hostibus, quacumque incederent, quia insuetis adeundi propius metus erat, agmen praebebant. Nono die in iugum Alpium perventum est per invia pleraque et errores, quos aut ducentium fraus aut, ubi fides iis non esset, temere initae valles a coniectantibus iter faciebant. Biduum in iugo stativa habita fessisque labore ac pugnando quies data militibus; iumentaque aliquot, quae prolapsa in rupibus erant, sequendo vestigia agminis in castra pervenere. Fessis taedio tot malorum nivis etiam casus, occidente iam sidere Vergiliarum, ingentem terrorem adiecit. Per omnia nive oppleta cum signis prima luce motis segniter agmen incederet pigritiaque et desperatio in omnium voltu emineret, praegressus signa Hannibal in promunturio quodam, unde longe ac late prospectus erat, consistere iussis militibus Italiam ostentat subiectosque Alpinis montibus Circumpadanos campos, moeniaque eos tum transcendere non Italiae modo, sed etiam urbis Romanae; cetera plana, proclivia fore; uno aut summum altero proelio arcem et caput Italiae in manu ac potestate habituros. Procedere inde agmen coepit iam nihil ne hostibus quidem praeter parva furta per occasionem temptantibus. Ceterum iter multo quam in adscensu fuerat - ut pleraque Alpium ab Italia sicut breviora ita arrectiora sunt - difficilius fuit; omnis enim ferme via praeceps, angusta, lubrica erat, ut neque sustinere se ab lapsu possent nec, qui paulum titubassent, haerere adflicti vestigio suo, aliique super alios et iumenta in homines occiderent.

*Livius, AUC XXI, 35*

---

## Tekst 3 Redevoering van Hanno

*Mago heeft in Carthago zojuist het nieuws van de overwinning verteld.*

Ten bewijze van deze blijde tijdingen liet Mago daarop in de voorhal van het senaatsgebouw gouden ringen uitstrooien. Volgens sommige geschiedschrijvers was de stapel zo groot dat meer dan drie schepels werden gemeten, maar volgens de mondelinge overlevering, die dichter bij de waarheid komt, was de hoeveelheid niet meer dan één schepel.

Adiecit deinde verbis, quo maioris cladis indicium esset, neminem nisi equitem, atque eorum ipsorum primores, id gerere insigne. Summa fuit orationis, quo propius spem belli perficiendi sit, eo magis omni ope iuvandum Hannibalem esse; procul enim ab domo militiam esse, in media hostium terra; magnam vim frumenti pecuniae absumi, et tot acies, ut hostium exercitus delesse, ita victoris etiam copias parte aliqua minuisse; mittendum igitur supplementum esse, mittendam in stipendium pecuniam frumentumque tam bene meritis de nomine Punico militibus. Secundum haec dicta Magonis laetis omnibus, Himilco, vir factionis Barcinae, locum Hannonis increpandi esse ratus, "Quid est, Hanno?" inquit; "etiam nunc paenitet belli suscepti adversus Romanos? Iube dedi Hannibalem; veta in tam prosperis rebus grates deis immortalibus agi; audiamus Romanum senatorem in Carthaginiensium curia."

Tum Hanno: "Tacuissem hodie, patres conscripti, ne quid in communi omnium gaudio minus laetum, quod esset vobis, loquerer; nunc interroganti senatori, paeniteatne adhuc suscepti adversus Romanos belli, si reticeam, aut superbus aut obnoxius videar, quorum alterum est hominis alienae libertatis obliti, alterum suae. Respondeam" inquit "Himilconi non desisse paenitere me belli neque desiturum ante invictum vestrum imperatorem incusare quam finitum aliqua tolerabili condicione bellum videro; nec mihi pacis antiquae desiderium ulla alia res quam pax nova finiet. Itaque ista, quae modo Mago iactavit, Himilconi ceterisque Hannibalis satellitibus iam laeta sunt: mihi possunt laeta esse, quia res bello bene gestae, si volumus fortuna uti, pacem nobis aequiorem dabunt; nam si praetermittimus hoc tempus, quo magis dare quam accipere possumus videri pacem, vereor ne haec quoque laetitia luxuriet nobis ac vana evadat. Quae tamen nunc quoque qualis est? Occidi exercitus hostium; mittite milites mihi. Quid aliud rogares, si esses victus? Hostium cepi bina castra, praedae videlicet plena et commeatuum; frumentum et pecuniam date. Quid aliud, si spoliatus, si exutus castris esses, peteres? Et ne omnia ipse mirer – mihi quoque enim, quoniam respondi Himilconi, interrogare ius fasque est – velim seu Himilco seu Mago respondeat, cum ad internecionem Romani imperii pugnatum ad Cannas sit constetque in defectione totam Italiam esse, primum, ecquis Latini nominis populus defecerit ad nos, deinde, ecquis homo ex quinque et triginta tribubus ad Hannibalem transfugerit."

Cum utrumque Mago negasset, "Hostium quidem ergo" inquit "adhuc nimis multum superest. Sed multitudo ea quid animorum quidve spei habeat, scire velim."

Cum id nescire Mago diceret, "Nihil facilius scitu est" inquit. "Ecquos legatos ad Hannibalem Romani miserunt de pace? Ecquam denique mentionem pacis Romae factam esse allatum ad vos est?"

Cum id quoque negasset, "Bellum igitur" inquit "tam integrum habemus quam habuimus, qua die Hannibal in Italiam est transgressus. Quam varia victoria priore [Punico] bello fuerit plerique qui meminerimus supersumus. Nunquam terra marique magis prosperae res nostrae visae sunt quam ante consules C. Lutatium et A. Postumium fuerunt; Lutatio et Postumio consulibus devicti ad Aegates insulas sumus. Quod si, id quod di omen avertant, nunc quoque fortuna aliquid variaverit, tum pacem speratis cum vincemur, quam nunc cum vincimus dat nemo? Ego, si quis de pace consulet seu deferenda hostibus seu accipienda, habeo quid sententiae dicam; si de iis quae Mago postulat refertis, nec victoribus mitti attinere puto et frustrantibus nos falsa atque inani spe multo minus censeo mittenda esse."

*Livius, AUC XXIII, 12.1–13.5*

## Tekst 4

*De volgende passage is afkomstig uit de 'Discorsi' van N. Machiavelli (1469-1527). Hij vergelijkt de eigentijdse geschiedenis van Italië met de geschiedenis van het oude Rome. In onderstaande passage noemt hij als voorbeeld de situatie na de slag bij Cannae.*

Nadat Hannibal de Romeinen vernietigd had bij Cannae, stuurde hij boodschappers naar Carthago om het nieuws van de overwinning te brengen en om ondersteuning te vragen. De senaat overlegde over de te nemen besluiten. Hanno, een oude, wijze Carthaagse burger, stelde voor verstandig gebruik te maken van deze overwinning, en vrede te sluiten met de Romeinen nu men dat als overwinnaar op gunstige voorwaarden kon doen, en niet te wachten tot men die na een nederlaag zou moeten sluiten. Het streven van de Carthagers diende erop gericht te zijn de Romeinen aan het verstand te brengen dat zij tegen hen opgewassen waren; en ze mochten niet riskeren die overwinning teniet te doen door te streven naar een nog grotere overwinning. Dit advies werd niet opgevolgd, maar wel door de Carthaagse senaat als juist onderkend toen het daar te laat voor was.

*N. Machiavelli, Discorsi II, 27.5-8*

---

## Tekst 5

*Tijdens de belegering van Saguntum door Hannibal raadt een Spanjaard uit het leger van Hannibal de inwoners van Saguntum aan om zich aan Hannibal over te geven. Hij spreekt de volgende woorden:*

"Postquam nec ab Romanis vobis ulla est spes nec vestra vos iam arma aut moenia satis defendunt, pacem affero ad vos magis necessariam quam aequam. *Op die vrede is alleen dan hoop als jullie het aanbod dat Hannibal jullie als overwinnaar doet, als overwonnenen zullen accepteren en niet als schade zullen beschouwen wat jullie verliezen – alles is immers bezit van de overwinnaar –, maar wat jullie wordt overgelaten, als geschenk zullen zien.* Urbem vobis, quam ex magna parte dirutam, captam fere totam habet, adimit; agros relinquit, locum assignaturus in quo novum oppidum aedificetis. Aurum et argentum omne, publicum privatumque, ad se iubet deferri: corpora vestra coniugum ac liberorum vestrorum servat inviolata, si inermes cum binis vestimentis velitis ab Sagunto exire. Haec victor hostis imperat; haec quamquam sunt gravia atque acerba, fortuna vestra vobis suadet. Equidem haud despero, cum omnium potestas ei facta sit, aliquid ex his rebus remissurum. Sed vel haec patienda censeo potius quam trucidari corpora vestra, rapi trahique ante ora vestra coniuges ac liberos belli iure sinatis."

*Livius, AUC XXI, 13*

*Aantekeningen*

| | |
|---|---|
| *regel 1* | **postquam** aangezien |
| | **ab** van de kant van |
| *regel 7* | **Urbem** *t/m* **adimit** *onderwerp: Hannibal* |
| | **ex magna parte** grotendeels |
| | **captam** *Lees* et quam captam |
| *regel 8* | **relinquo** laten houden |
| *regel 10* | **coniugum ac liberorum** *Lees* et corpora coniugum ac liberorum |
| | **servo** laten |

| | |
|---|---|
| *regel 12* | **fortuna vestra** jullie eigen belang |
| *regel 12-13* | **cum** *t/m* **sit** wanneer hij alles in zijn macht zal hebben |
| *regel 13* | **remissurum** *Lees* eum remissurum esse |
| | **remitto** verzachten |
| | **vel** zelfs |
| | **patienda** *Lees* patienda esse |
| *regel 14-15* | **quam** *t/m* **sinatis** *Lees* quam ut sinatis trucidari corpora vestra, rapi trahique ante ora vestra coniuges ac liberos belli iure |